

ligerent Angeli, propter seipsos diligenter, & ita non Deum supra se diligebant.

2. Præterea. Avicenna dicit in sua Metaph. (tr. ix. cap. iv.) quod nulla actio alicujus naturæ est liberalis, nisi solius Dei, ex hoc quod omnem actionem aliam sequitur aliquod commodum ipsius agentis. Sed dilectio qua aliquis Deum super se diligit, est maxime liberalis. Ergo videtur quod hoc non possit alicui convenire, nisi per gratiam.

4. Præterea. Unumquodque naturaliter appetit acquirere suum finem. Sed omne quod desideratur ab aliquo ut sibi acquirendum, propter se, & minus se diligitur. Cum ergo Angeli in statu naturalium Deum sicut suum finem dilexerint, videtur quod eum super se non dilexerunt.

5. Præterea. Secundum Dionysium (de divin. Nomin. cap. iv.) bona naturalia in Angelis remanent etiam post peccatum. Sed constat quod peccator homo, vel Angelus non diligit Deum super omnia. Ergo videtur quod nec in statu naturalium.

Sed contra. Omnis dilectio aut est usus, aut fructio. Si ergo Angeli diligebant Deum in statu innocentie, aut ut utentes, aut ut fruentes. Si ut utentes, ergo utebantur re fruenda: quod est magnæ perversitatis, secundum Augustinum (Lib. II. de Civ. Dei cap. xiv.) & ita esset dilectio peccati, & non naturalis. Si ut fruentes, ergo Deum propter seipsum diligebant: quia frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam.

Præterea. Deum esse super omnia diligendum, cum sit legis naturalis scriptum, erat in mente Angeli multo expressius quam in mente hominis. Sed non contingit sine peccato facere contra id quod per naturalem legem cordi inditum est. Ergo si Deum super omnia non diligebant, peccabant. Quoad ergo sine peccato fuerunt, Deum super omnia diligebant.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est duplex opinio.

Quidam enim distinguunt dilectionem concupiscentiæ, & amicitie: quæ duo si diligenter consideremus, differunt secundum duos actus voluntatis, scilicet appetere quod est rei non habitæ, & amare quod est rei habitæ, secundum Augustinum (in Ps. xxxvii.) Est ergo dilectio concupiscentiæ qua quis aliquid desiderat ad concupiscendum, quod est sibi bonum secundum aliquem modum; & tali dilectione Angeli in statu naturalium Deum plus quam se diligebant, vehementius appetendo bonum divinum quam suum: quia hoc erat eis delectabilius: unde totam hanc dilectionem in seipsos retorquebant. Dilectio autem amicitie est qua aliquis aliquid, vel similitudinem ejus quod in se habet, amat in altero, volens bonum ejus ad quem similitudinem habet: & propter hoc Philosophus (VIII. Ethic. cap. II.) dicit, quod est (1) similis à simili amari, sicut unus virtuosus alium diligit; in quibus tamen est vera amicitia: & tali dilectione Angeli quodammodo diligebant Deum supra se, quia ei majus bonum quam sibi optabant, scilicet esse Deum, quod sibi non volebant, sed aliquod minus bonum; sed tamen intensius sibi volebant bonum creatum quam (2) Deo bonum divinum.

Sed ista responsio non potest stare: oportet enim

(1) Al. simile simili. (2) Al. deest Deo. (3) Al. accipitur. EX-

ponere Angelos ad Deum habuisse dilectionem amicitie, cum secundum bona naturalia similitudo divina in eis resplenderet. Hoc autem est de ratione amicitie quod quamvis habeat dilectiones, & utilitates annexas, non tamen ad has oculus amantis respicit; sed ab bonum amatum. Ergo in corde amanti præponderat bonum amatum omnibus utilitatibus, vel dilectionibus quæ consequuntur ex amato. Sed nullum bonum erat in Angelo quod non esset ex ipso amato, scilicet Deo. Ergo plus diligebant bonum amatum divinum quam bonum quod ipsi erant, vel quod in eis erat: & hæc est alia opinio.

Ad primum dicendum, quod actus caritatis potest dici dupliciter: vel qui est ex caritate; & hoc non est nisi in habente caritatem: vel qui est ad caritatem, non sicut meritorius, vel generativus, sed sicut preparativus; & sic actus caritatis ante caritatem habitam haberi potest, sicut facere justa est ante habitum justitiæ. Vel potest dici, quod in amicitia caritatis movetur animus ad amandum Deum ex similitudine gratiæ; sed in dilectione naturali ex ipso bono naturæ, quod etiam est similitudo summæ bonitatis. Et propter hoc dicendum, quod cum dicitur, quod habens caritatem diligit Deum propter se ipsum, ly propter denotat habitudinem finis, & efficientis, quia ipse Deus superaddit naturæ unde in ejus dilectionem tendit; sed cum dicitur de carente caritate, quod diligit Deum propter se ipsum, ly propter denotat habitudinem finis, & non efficientis proximi, nisi sicut Deus in omni natura operante operatur.

Ad secundum dicendum, quod natura in se curva dicitur, quia semper diligit bonum suum. Non tamen oportet quod in hoc quiescat intentio quod suum est, sed in hoc quod bonum est: nisi enim sibi esset bonum aliquo modo, vel secundum veritatem, vel secundum apparentiam, numquam ipsum amaret. Non tamen propter hoc amat, quia suum est; sed quia bonum est: bonum enim est per se objectum voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis cuilibet naturæ creatæ agenti ex sua actione proveniat aliquod commodum; non tamen oportet quod illud commodum sit intentum; sicut patet in amicitia honestorum.

Ad quartum dicendum, quod finis est duplex: quidam proportionatus rei, receptus in ipsa, ut perfectio inhærens sibi, sicut sanitas in operationibus medicinæ: & quia iste finis non est secundum esse, nisi in eo cui (3) acquiritur, ideo absolute non amatur ab aliquo supra se; sed se esse sub tali perfectione, amatur supra se esse simpliciter. Sed est quidam finis per se subsistens, non dependens secundum esse à re quæ est ad finem; & iste finis desideratur quidem acquiri; sed amatur supra id quod acquisitum est ab alio; & talis finis est Deus, ut supra dictum est.

Ad quintum dicendum, quod bona naturalia, prout in esse naturæ absolute considerantur, remanent integra post peccatum; tamen pervertuntur, quantum ad rectum ordinem quem habebant in gratia, vel virtute; & hanc rectitudinem consequentur, super omnia Deum diligere.

EXPOSITIO SECUNDÆ PARTIS  
TEXTUS.

HIC queri solet quam sapientiam habuerunt ante casum, vel confirmationem. Ponitur hic duplex

Angelorum cognitio: una speculativa, qua cognoscebant Deum, & seipsos, & alias creaturas; & alia practica sequens eorum operationem, quæ ad eos pertinebat, qua cognoscebant quid eligere, & respuere deberent. Et hæc erat similis cognitioni prudentiæ in nobis.

## DISTINCTIO IV.

An perfectos, (1) & beatos creavit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos.

POST hæc videndum est, utrum perfectos, & beatos creavit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos. Ad quod dici potest, quod nec in beatitudine, nec in miseria creati sunt. Miseri enim ante peccatum esse non potuerunt, quia ex peccato miseria est: nam si non fuisset peccatum, nulla esset miseria. Beati quoque (2) nondum fuerunt illi qui ceciderunt: quia sui eventus ignari fuerunt id est peccati, & supplicii futuri. Si enim lapsum suum præscierunt, aut vitare voluerunt, sed non potuerunt, & ita erant miseri; aut potuerunt, sed noluerunt, & ita erant stulti, & maligni. Ideoque dicimus, quia non erant præscii eventus sui, nec eis data est cognitio eorum quæ futura erant super eos. Boni vero (3) & qui perstiterunt, forte suæ beatitudinis præscii fuerunt. Unde Augustinus super Genesim (ad lit. Lib. XI. cap. xvii.) „Quomodo,“ inquit, „beatus inter Angelos fuit, qui futuri peccati, atque supplicii præscius non fuit? Queritur autem, tem, cur non fuerit. Forte hoc Deus diabolo revelare noluit, quid facturus, vel passurus esset; cæteris vero revelare voluit, quod in veritate mansuri essent.“ His verbis videtur Augustinus significare quod Angeli qui corruerunt, non fuerunt præscii sui casus, ideoque beati non fuerunt; & quod Angeli qui perstiterunt, beatitudinem sibi affuturam præscierunt, atque de ea certi in spe extiterunt: unde quodammodo jam beati erant. Et revera, si ita fuisset, posset dici, illos aliquo modo fuisse beatos; alios vero qui nescierunt eventum suum, non.

Quod opinando (4) Augustinus hæc dixerit, non asserendo, scilicet quod Angeli qui perstiterunt, præscii fuerint (5) sui boni.

SED hæc magis opinando, & querendo dicit Augustinus quam asserendo. Unde & huic opinioni opponens, consequenter subdit: „Sed quare discernebantur illi à ceteris, ut Deus istis, quæ ad ipsos pertinet, non revelaret, aliis vero revelaret; cum non prius sit ipse ultor quam aliquis peccator; Non enim „damnat (6) Deus innocentes.“ Hic videtur innuere, quod nec peccatoris futurum malum, nec permansuris futurum bonum revelaverit. Ideoque nec illi qui ceciderunt, umquam, nec illi qui perstiterunt, usque ad consummationem, beati fuerunt: quia beati non poterant esse, si de beatitudine certi non erant, vel si damnationis incerti erant. Unde Augustinus in eodem (Lib. cap. xix.) „Dicere,“ inquit, „de Angelis, quod in suo genere beati esse possent, damnationis, vel salutis incerti, quibus nec spes esset quod „mutandi essent in melius: nimia præsumptio est. Quomodo enim beati esse possunt quibus est incerta suæ „beatitudo?“

Summa colligitur prædictorum, confirmans, omnes Angelos ante confirmationem, vel lapsum, non fuisse beatos; nisi quis (7) beatitudinem accipiat illum statum innocentie in quo fuerunt ante casum.

EX prædictis consequitur quod Angeli qui corruerunt, numquam beati fuerunt, nisi beatitudinem aliquis accipiat illum statum innocentie in quo fuerunt ante peccatum. Illi vero qui perstiterunt, aut suam beatitudinem futuram, Deo revelante, præscierunt, & ita spei certitudine aliquo modo beati fuerunt; vel incerti extiterunt suæ beatitudinis, & ita aliter beati non fuerunt quam reliqui qui ceciderunt. Mihi autem quod posterius dictum est, probabilius videtur.

Responsio ad id quod quærebatur, an Angeli essent creati perfecti, an imperfecti: & dicitur, quod perfecti fuerunt secundum aliquid, & imperfecti secundum aliquid.

AD hoc autem quod quærebatur, utrum perfecti, vel imperfecti fuerint creati, dici potest, quod quodammodo perfecti fuerunt, & quodammodo imperfecti. Non enim uno modo dicitur aliquid perfectum, sed pluribus.

Quod tribus modis dicitur perfectum, secundum tempus, secundum naturam, & universaliter perfectum.

Dicitur namque perfectum tribus modis, est enim perfectum secundum tempus, & etiam perfectum secundum naturam, & etiam perfectum universaliter. Secundum tempus perfectum est quod habet quidquid tempus requirit, & convenit secundum tempus haberi: & hoc modo Angeli erant perfecti ante confirmationem, vel lapsum. Secundum naturam perfectum est quod habet quidquid debitum est, vel expedit natura. In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. & bonos. (2) Al. numquam. (3) Forte omitendum &, ut in divisione textus: vel legendum qui & perstiterunt. (4) Al. deest Augustinus. (5) Al. futuri. (6) Al. ipse. (7) Al. per beatitudinem.



turæ suæ ad glorificationem; & hoc modo perfecti fuerunt Angeli post confirmationem, & erunt sancti post resurrectionem. Universaliter, & summe perfectum est cui nihil unquam deest, & à quo universa proveniunt bona: quod est solius Dei. Prima igitur perfectio est naturæ conditæ, secunda naturæ glorificatæ, & tertia naturæ increatæ.

*Prædicta breviter tangit, addens quales fuerint Angeli in conversione, & aversione.*

**Q**uales fuerint Angeli in creatione, ostensum est, boni scilicet, & non mali; iusti, idest innocentes, & perfecti quodam modo, alio vero modo imperfecti; beati vero non fuerunt usque ad confirmationem, nisi beatitudo accipiatur, ut jam dictum est, ille status innocentiae, & bonitatis in quo conditi sunt.

#### DIVISIO TEXTUS.

**O**stenso quales fuerunt Angeli in principio suæ creationis quantum ad naturam, & quantum ad culpam, & innocentiam, hic inquirunt quales fuerunt quantum ad gloriam, & miseriam: & dividitur in partes tres. In prima movet questionem; in secunda determinat eam, ibi: *Ad quod dici potest, quod nec in beatitudine, nec in miseria creati sunt;* in tertia epilogat ea quæ dixerat, ibi: *Quales fuerunt Angeli in creatione, ostensum est.* Secunda pars dividitur in duas, (8) secundum duas questiones propositas: quarum prima quærebat de beatitudine; secunda de perfectione beatitudini annexa, quam determinat ibi: *Ad hoc autem quod quærebatur, utrum perfecti, vel imperfecti fuerint creati, dici potest, quod quodam modo perfecti fuerint, & quodam modo alio imperfecti.* Circa primum tria facit. Primo determinat questionem quantum ad malos; secundo quantum ad bonos, ibi: *Boni vero, qui perstiterunt, sorte suæ beatitudinis præscii fuerunt;* tertio solutionis virtutem post inquisitionem colligit, ibi: *Ex prædictis consequitur quod Angeli qui corruerunt, nunquam beati fuerunt.* Circa secundum duo facit. Primo ponit quamdam viam, per quam videtur Angelos bonos, beatos creatos; secundo excludit eam, ibi: *Sed hæc magis opinando, & quærendo dicit Augustinus, quam asserendo.*

#### QUESTIO I.

**H**IC tria quærentur.

Primo. Utrum Angeli in principio suæ creationis beati fuerint, vel miseri.

Secundo. Si non, utrum beatitudinem suam, vel miseriam præsciverunt.

Tertio. Utrum perfecti in gratia creati sunt.

#### ARTICULUS I.

*Utrum Angeli sint creati beati.*

*I. P. quæst. LXII. art. 1.*

**1.** **A**D primum proceditur sic. Videtur quod Angeli creati sint beati. Primo per Augustinum (a) in Lib. de ecclesiasticis Dogmatibus, qui dicit quod Angeli qui in illa in qua sunt creati beatitudine perseverant, non natura, sed gratia possident; (9) ut non mutentur. Sed Angeli boni, de quibus loquimur, perseverant in beatitudine perfectæ gloriæ. Ergo videtur quod in illa creati sint.

**2.** Præterea. Tota substantia beatitudinis consistit in Dei visione: unde dicitur Joan. xvii. 3. *Hæc est*

(8) *Al.* secundum duas questiones propositas ibi, *Quarum prima quærebat de beatitudine;* in secunda de perfectione beatitudini annexa, quam ibi determinat, ibi, *Ad hoc autem &c.* (9) *Al.* ut bonum mutentur.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Inter ejus opera quidem Tomo III. Sed Gennadii potius est, cujus nomine citant & Adrianus I. & Algerus, ut jam alibi notatum est.

*vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Sed Angeli in principio suæ creationis Deum viderunt: alias in Verbo creaturas non cognovissent cognitione maritina, quam Augustinus ponit (super Gen. ad lit. Lib. IV. cap. xxii.) Ergo videtur quod beati creati sunt.

**3.** Præterea. Supra dictum est, quod Angeli in principio suæ creationis aliquam cognitionem de Deo habuerunt. Non autem cognoverunt in speculo, & ænigmate, sicut nos modo, ut dicitur I. Corinth. xiii. quia obscuritas ænigmatum est rationis obumbratæ per continuum tempus, in quantum à sensibus, & phantasmatis cognitionem inquirendo accipit. Ergo cognoverunt per speciem, & ita beati fuerunt.

**4.** Præterea. Venire de posterioribus in priora, de causatis in causas, est virtutis inquirentis, & conferentis. Sed intellectus angelicus non est hujusmodi, quinimmo deformiter intelligit sine inquisitione, sicut nos prima principia, quorum est intellectus. Ergo videtur quod Deum non ex creaturis cognoverunt, sed ipsum in se; & ita visionem gloriosam habuerunt.

Sed contra. De ratione beatitudinis est status confirmatio: unde Boetius dicit de Consol. Lib. I. metr. 1.)

*Quid me felicem toties jactatis amici?*

*Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.*

Sed Angeli in principio suæ creationis non fuerunt confirmati omnes, quod quorundam casus ostendit; nec etiam quidam aliis non confirmatis: quia culpam non potuit præcedere distinctio in carentia beneficiorum quæ à Deo conferebantur. Ergo videtur quod non fuerunt creati beati in principio suæ creationis.

Præterea. Simul boni Angeli effecti sunt beati, & mali Angeli miseri. Ergo videtur, cum mali Angeli in principio suæ creationis non fuerint miseri, sicut nec peccatores, quod nec boni in principio suæ creationis beati fuerunt.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod beatitudo, sive felicitas est in perfectissima operatione habentis rationem, & intellectum. Intellectus autem perfectissima operatio est in contemplatione altissimi intelligibilis, quod Deus est. Unde tam Dei, quam Angeli, quam etiam hominis ultima felicitas, & beatitudo, Dei contemplatio est, non solum secundum sanctos, sed etiam secundum Philosophos. Hanc autem operationem non est possibile æqualiter in omnibus inveniri: unde beatitudo uniuscujusque consistit, in quantum hanc operationem attingit, secundum modum suæ perfectionis: & ideo diversimode invenitur in

Deo,

Deo, & in Angelo, & in homine secundum eorum naturalia consideratis. Ipse enim Deus seipsum per essentiam suam videt, & non per aliquam sui similitudinem. Intellectus autem Angeli naturali cognitione ipsum videt per similitudinem ejus acquiratam in ipso: unde in Libro de Causis (propos. viii.) dicitur, quod intelligentia scit quod est supra se, in quantum est creata ab eo: unde similitudinem divini esse participat secundum modum suum. Sed intellectus humanus non pervenit ad hanc visionem naturali cognitione, nisi per similitudinem à creaturis receptam, in quantum per ea quæ facta sunt, invisibilia cognoscit, ut dicitur Rom. i. Et differt hæc triplex visio, ut sensibiliter loquamur, sicut oculus videt lucem existentem in pupilla, non per aliquam speciem ejus; & hæc est similis visioni qua Deus videt se. Sed visio qua Angelus videt Deum, est similis visioni qua aliquis videt hominem per similitudinem immediate ab ipso receptam. Sed visio intellectus humani qua Deum videt, similis est illi visioni qua aliquis hominem videt intuendo speculum, in quo hominis imago resultat, & propter hoc dicimur in speculo videre I. Corinth. xiii. & in hac beatitudine visionis divinæ, quæ naturaliter Angelis debetur, Angeli creati sunt, & hæc est perfectio eorum, secundum tempus illud. Sed est alia perfectio, in quam per naturam suam non possunt devenire, cujus tamen capaces sunt, ut scilicet ipsum Deum in essentia sua videant, non per aliquam similitudinem receptam, ut eorum beatitudo divinæ beatitudini sit conformis; & in hac beatitudine creati non sunt, sed ad eam, alis cadentibus, pervenerunt.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus (Gennadius) nominat beatitudinem, illam visionem Dei naturalem; per quam tamen non erant beati simpliciter, cum majoris perfectionis capaces essent, sed secundum quid, scilicet secundum tempus illud; sicut & Philosophus in I. Ethic. (cap. x. vel xvii.) dicit aliquos in hac vita beatos non simpliciter, sed ut homines.

Ad secundum dicendum, quod viderunt Verbum per similitudinem Verbi in eis impressam; non tamen in hoc est ultima eorum beatitudo, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod non proprie dicitur illa cognitio specularis, sicut homo non dicitur videre in speculo illud cuius similitudo in oculo suo relinquitur; nisi ipse oculus speculum diceretur, in quo species rei resultat. Nec tamen est visio beata, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod virtutis cognoscitivæ est una conversio in speciem rei, & in rem ipsam: unde ex hoc quod aliquis per speciem rei, quam apud se habet, rem illam cognoscit, non dicitur conferre; sed ex eo quod ex similitudine unius rei aliam rem accipit: & ita patet quod non oportet intellectum Angeli ponere collativum, & inquisitivum.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Angeli præsciverint suam miseriam, vel beatitudinem.*

**1.** **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod Angeli suam miseriam, vel beatitudinem præsciverunt. Sicut enim Angeli, ita & hominis miseria est per peccatum. Sed homini suum peccatum quandoque prænnuntiatur, sicut Dominus Petro futurum peccatum prædixit, ut legitur Math. xxvi. In II. Sent. Tom. II.

Ergo videtur quod etiam Angelis suum casum prænnuntiare debuerint.

**2.** Præterea. Bernadus de gradibus humilitatis (in gradu superbiæ §. 36.) dicit, quod diabolus prævidit se super maios principatum habiturum, propter hoc in latere Aquilonis solium suum ponere volebat, ut dicitur Isai. xlv. Sed non est factus princeps majorum, nisi per peccatum. Ergo videtur quod peccatum suum præsciverit.

**3.** Præterea. Ante peccatum nullus dolor, vel poena præcessit in Angelis. Sed esse incertum de sua salute, est sanctis magna causa doloris, ut dicit Gregorius (Lib. V. Moral. cap. iv.) super illud Job iiii. 23. *Viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Ergo videtur quod boni Angeli certi fuerint de sua salute, & ita etiam mali de suo casu.

**4.** Præterea. Quanto aliquid est magis remotum à cognoscente, tanto minus subjacet cognitioni ejus. Sed magis distant ab Angelis ea quorum ipsi non sunt causæ (sicut res naturales, quarum tamen cognitionem habebant) quam motus liberi, arbitrii quibus sunt conversi, vel aversi, quorum ipsi sunt causæ. Ergo suam conversionem, & aversionem, præsciverunt.

Sed contra. Quicumque est certus de malo futuro, non potest simul sperare bonum contrarium. Si ergo Angeli qui ceciderunt, præscivissent suum casum, oportebat eos desperare de beatitudine accipienda. Ergo fuissent desperati antequam peccassent: quod est inconveniens.

Præterea. Omne quod quis apprehendit, oportet quod sit vel conveniens suæ voluntati, vel discordans. Sed malum culpæ non potest esse concordans voluntati peccantis sine peccato, nec potest aliquid cognitum discordare à voluntate sine dolore, & poena. Ergo si casum suum præsciverunt, oportet quod poena, vel culpa in eis præcederet primam culpam: quod est impossibile.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod aliquid potest præcognosci dupliciter: vel cognitione certa, sicut ea quæ habent causas determinatas infallibiles, ut solem oriri cras; vel cognitione conjecturali, sicut ea quæ habent causas determinatas ut in majori parte; sicut medicus præcognoscit sanitatem futuram, & nauta tempestatem. Cum ergo casus, & confirmatio Angelorum dependeat ex libero arbitrio, quod non est causa determinata ad unum, non potuit eorum præcognitio haberi, secundum certitudinem, nisi à Deo, qui præsentia omnia innumerat. Sed tamen secundum conjecturam poterant præsumere omnes se habituros beatitudinem, quia ad hoc eorum natura erat magis inclinata, velut ad hoc instituta; sed suum casum præscire non poterant ex seipsis nec per conjecturam, nec per certitudinem; sed tantum potentiam cadendi. Nec etiam fuit congruum à Deo eis revelari, nec poena culpam præcederet; nec iterum bonis suam confirmationem, ne distinctio culpam præcederet, ut in littera dicitur. Si tamen utrisque revelatum fuisset, recepissent id non secundum certitudinem, prout in Deo erat, sed secundum modum suum, quasi ad cautelam dictum.

Ad primum ergo dicendum, quod Petrus etiam Domini prænnuntiationem accepit non per certitudinem, sed ad comminationem dictam. Præterea. Non est simile de homine, & de Angelo: quia homo cadit reparabiliter; unde desperare non cogitur ex præcognitione peccati sui. G 2